acceptorem personarum pauperes admittendo. sed qui veniunt primo. primo audiantur nisi necessitas sensus suadeat. Nec quicquid ante confessionem seu ante iniunctionem penitencie et absolucionem exigant, vel sponte oblata recipiant, vel confessiones quoquomodo vendant.

Item statuimus quod casus papales et episcopales tradantur ut continetur ad simodo (?)

Sequitur notabile valens ad casus subscriptos

Dicendum breviter pro quibus casibus et penitenciis sit penitens ad episcopum remittendus. Ad cuius rei evidenciam obmissis difficultatibus dico quod penitenciarum alia publica, alia solempnis, alia privata. Publica est ut cum aliquem iniungitur peregrinatio cum baculo cubitali et pera et induitur vel aliquo genere vestis. Vel publice penitere est publice coram populo vel pro publico crimine penitenciam agere. Similitudinaliter potest dici publice penitere sicut est ille qui in ipsa domo penitenciam agit. et sicut ille qui propter delictum invitus in monasterium detrudit. Hanc sacerdos potest iniungere cum non sit inhibitum et non imponitur nisi pro gravi crimine quod clericis talis penitencia non est imponenda nisi deposito. Solempnis penitencia est que fit in capite quadragesimali. quia omnes penitentes qui publicam susceperunt aut susceperint penitenciam ante fores ecclesie se representent episcopo civitatis sacco induti nudis pedibus vultibus in terram demissis. reos se ipso eciam habitu et vultu protestantes et ista imponitur a solo episcopo. Et hec penitencia imponitur pro homicidio. pro sacrilegio. pro incestu et similibus gravibus et enormibus casibus. pro peiori oppressione et civium propter gravitatem criminis. totam urbem. vel villam commovente. Hoc autem scias quod omnis solempnis penitencia est publica sed non econverso. Solempnis scilicet sollempnitatem predictam. Privata penitencia est que pro occultis peccatis imponitur que sunt presbitero confitenda et ab eo est penitencia iniungenda nisi in casibus qui secuntur in quibus sunt confitentes ad episcopum remittendi.

## Casus episcopales

Primo coiens cum moniali consecrata vel virgine vel non consecrata vel muliere cum religioso

Item verberans presbiterum vel clericum

Item deflorans virginem vi oppressam vel seductam

Item machinans in mortem coniugis

Item abutens crismate vel re sacra

Item furtum faciens in ecclesia